

titiam portendebat? de fuga quidem ho-
 stiarum ab Altaribus, idem sentio, quod
 de pullorum fuga sub Mantino, eoque
 magis, quia pulli pastum illic, hic hostiæ
 mortem fugiebant, quod insitum est,
 cunctis animantibus. Piget singula pro-
 sequi & irrisoris cognomen vereor in-
 currere, id sanè quod inter prodigia nu-
 merant, repentino mœrore ac nocturno
 pauore obtorpuisse acies, signum fateor
 pestiferum, sed vt sub Crasso dixi, Impe-
 ratori prouidendum non aruspici, qui si
 in partem consilij vocandus erat, poterat
 & Crassus primo, & mox Pompeius &
 Cæsar nouissimè bono animo esse, nihil
 lætum & magnificum sperare, omnibus
 enim vt qui rebus ipsis interfuit, meminit
 Cicero: promissum à Chaldæis eos non
 nisi in senectute, nisi domi, nisi cum cla-
 ritate & summa gloria morituros: O
 promissorum fides, & nimirum in alteru-
 tro delirandum fuit honestior (vt ita di-
 xerim) insania est, ex itellantis cœli mo-
 tu, quàm ex cruentis extorum fibris, for-
 tunam suam explorasse, quanquam Pom-
 peius ipse, qui vt scriptum est, sese credu-
 lum rerum talium præberet: Sæpè etiam
 ab aruspibus lusus erat, multaque sibi
 in